







DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM

DE

SACRIFICIIS SATISFACTIONIS CHRISTI PRO PECCATIS TOTIUS MUNDI PRÆSTITÆ, TYPIS CERTISSIMIS, ET FIRMISSIMIS,

*Adversus recentiores Arianos seu Photinianos, Satisfactionem CHRISTI omnem pernegantes*

S E X T A,

Quod sacrificia suo modo expiarint peccata.

Q U Æ

In Collegio Disputationum Theologicarum privato in Templo Arcis d. 12. Apr. Anno 1715 cxxv. in incluta VVittebergensium Academia habebitur.

P R Æ S I D E

VVOLFGANGO FRANZIO, S. S. Theologiæ Doctore & Profess. Publico;

R E S P O N D E N T E

M. AGGÆO FRIDERICI FRISIO ORIENTALI S. S. Th. St. ET RECTORE SCHOLÆ RIGEN- SIS DESIGNATO.

*VVitteberge, Typis Johannis Gormanni.*







*Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, nec non  
Excellentissimis viris:*

Dn. JOHAN-HENRICO Zerwart. } Praclari & de Ecclesia optimè  
Dn. MARTINO ZOBELIO. } meriti viri. Dn. ANDREÆ  
Dn. JOHANNI Manlich. } BEHAMI Testamenti Exe-  
Dn. JOHANNI BAPTISTÆ } quitoribus & Administrato-  
Heinzelio Majori. } ribus ut dignissimis ita & fide-  
} lissimis:

UT ET

*Reverendis, Clarissimis & Excellentissimis  
Viris*

Dn. ANDREÆ BAUMANNO, PASTORI AC  
Seniori emeritissimo.

Dn. M. HERMANNO SAMONIO, PASTORI  
ac Scholæ inspectori vigilantissimo.

*Dominis Mæcenatibus, Fautoribus ac Promotoribus meis æternùm  
colendis προσβλημα hoc θεολογικόν tanquam signum gra-  
tæ mentis humilimè offero, consecro, relinquo*

M. Aggæus Friderici Frisius Orientalis,  
S.S. Theol. Studios. & Rector Scholæ  
RIGENSIS designatus.

RESPONDENTE

M. AGGÆO FRIDERICO FRISIO ORIENT-  
ALI S. S. THEOL. STUDIO. & RIGENSIS  
SCHOLÆ RIGENSIS RECTORI

Virtutibus, Typis Johannis Göttingensis







## Thesis I.



Equitur in ordine problema istud, Quod omnia sacrificia V. T. suo modo expiarint peccata. Hujus autem problematis sententiam jam antea satis constare speramus ex Disputatione his adjecta & publicè habita, anno Christo 1614. ad d. 10. Junij. Quapropter, ibi actum, hoc loco agere non lubet denuò.

II. Quin potius in hac disputatione, cum Socino cominus pugnare operæ fuerit magnæ pretium, & diligenter æstimare, 1. an & 2. quàm firmiter vel infirmiter ipse, doctrinam de sacrificijs peccata olim expiantibus, refutare conetur. Agit hac de re cum primis in libro de Servatore, parte secunda à capite nono fermè usq; ad finem libri. Methodum hic aliam non sequemur, quàm nobis suppeditabit ipse adversarius seu opponens noster.

Propositio.

I.

*An tantum sacerdotum sic dicta Socino, an etiam populi sacrificia expiarint.*

III. Capite igitur nono dicit, nulla sacrificia vetera representasse, seu ut ipse loquitur, figurasse mortem Christi, nisi illa quæ quotannis tantum semel, publicè pro universo populo, ipso etiam summo Sacerdote sacrificijs V. T. non excluso, statis quibusdam temporibus fiebant, nimirum septimi mensis die decimo, quo die summus Sacerdos ingrediebatur in sanctum sanctorum.

Sententia Socini de Sacrificijs V. T.

IV. In cæteris sacrificijs, inquit, quæ etiam pro peccatis fiebant, tamen non figurabatur mors Christi, Sed tantum in summi sacerdotis persona Christus ipse adumbrabatur: Sacrificia autem ipsa (intellige, reliqua extra illud anniversarium) spiritualia nostra sacrificia (preces intelligit, & pœnitentiam) adumbrabant, quæ etiam expia-



expiatoriā nos Deo Christiani nunc potissimum sub novo testa-  
mento offeramus, sicut Psal. 51. offert Deo sacrificium spiritum  
confractum seu spiritum pœnitentem, non legalia sacrificia,  
David.

Syllogismus  
Socini, quo  
vult obtinere  
non omnia sa-  
crificia vetera  
expiasse.

V. *Sensus Socini est iste*: Tantum illa sacrificia vetera fuerunt  
figuræ mortis Christi, quæ præstita fuere pro universo populo. Sed  
nulla alia sacrificia præstita fuerunt pro universo populo, nisi illa,  
quæ publicè fiebant pro universo populo, ipso etiam summo Sa-  
cerdote aliquando non excluso, præsertim verò illud quod semel  
in anno summus Sacerdos in Sancta sanctorum ingrediens pera-  
gebat. Ergò tantum hæc sacrificia, & præsertim quæ in Sancto  
sanctorum peragebantur quotannis semel, fuerunt figuræ mor-  
tis Christi; & per consequens, quia reliqua sacrificia non fuerunt  
figuræ mortis Christi, & tamen expiasse peccata scribuntur, neces-  
sariò dicentur & constituentur non nisi figuræ cordium pœni-  
tentium in Novo-testamento, quæ Deo per Christum oblata no-  
stras prævaricationes quodam hujus *Φερίων* modo, expiare vi-  
deri possunt.

Quid nominet  
sacrificia pub-  
lica Socinus.

V. I. Cumque hoc sternat fundamentum singulare *Socinus*  
commenti sui, iccirco illud diligentius à nobis est expendendum.  
Et primò quidem diligenter circumspicientes de ratione seu proba-  
tione, seu confirmatione majoris propositionis, ex verbo Dei nullam ritè  
se habentem depræhendere potuimus. Affert autem verba quæ-  
dam, quibus incautum & imprudentem lectorem omninò tan-  
tum decipit. Sic enim inquit: Publica n. illa & stas temporibus per-  
acta sacrificia, SACERDOTIS sacrificia simpliciter dici poterant,  
neq; enim ex populi voluntate pendebant, sed à sacerdote ex Dei  
præscripto peragebantur, atque ob eam rem optimè Christi morti  
respondent, quæ sola Dei & ipsius Christi voluntate, (ut ita lo-  
quar) peracta est, & quemadmodum Christi mors sacrificium pro  
omnibus fuit, sic etiam sacrificia illa pro omnibus fiebant.

V. II. Verùm (pergit *Socinus*) quia Christi mors non solum  
pro omnibus, sed pro omnium etiam omnibus peccatis sacrificiū  
fuit, iccirco ea propriè in anniversario illo sacrificio figurabatur,  
quod solum pro omnium omnibus peccatis fiebat. Cætera verò  
sacrificia voluntatem populi omninò requirebant, quare po-  
puli.



populi magis quam sacerdotis sacrificia erant, & non pro omnib. sed pro singulis fiebant vel ad summum pro tota Israël's congregatione tanquam uno quopiam considerata, atque ea de causa sacrificia mentis nostræ, quæ voluntatem nostram requirunt & pro singulis offeruntur, decenter figurabant. *Hactenus verba Socini, quæ in hunc Syllogismum redigi poterunt, & ipsa:*

VIII. Tantummodò sacerdotis non verò populi sacrificia *Pro Syllogismo Socini* repræsentarunt mortem Christi. At non nisi illa sola sacrificia quæ stas temporibus publicè pro universo populo fiebant, præsertim illud Levit. 16. quando summus Sacerdos ingrediebatur in Sanctum sanctorum, erant sacrificia sacerdotis. Ergo hæc & non alia repræsentarunt mortem Christi.

IX. Sed & hujus ipsius *Pro Syllogismi* majorem propositionem nobis confirmatam dari exoptavimus. Dum a. respicimus & & circumspicimus, probationem deprehendimus planè & penitus nullam. Mirari autem perreximus & pergere necesse habuimus, cur tamen distinguat Socinus inter sacrificia Sacerdotis & inter sacrificia populi, & definitiones ejus exactius contemplati sumus.

X. *Sacrificia Sacerdotis* definit ea quæ non dependebant à *Quid vocet Socinus sacrificia* voluntate populi, sed à Sacerdote ex præscripto Dei peragebantur, & stas temporibus publicè fiebant, pro universo populo, ipso a-Sacerdotis, liquando summo Sacerdote non excluso. *Sacrificia populi* definit, quid sacrificia quæ populi voluntatem omninò requirebant, & fiebant non pro populi, omnibus, sed pro singulis vel ad summum pro tota Israël's congregatione tanquam uno quopiam considerata. Sed & unde hanc distinctionem & cum primis definitiones hujus distinctionis confirmare velit, diligenter sed frustra circumspeximus.

XI. Immò dom has Socinianas definitiones sursum & deorsum examinamus accuratius, manifestè deprehendimus, quod hæc distinctiones & definitiones pugnent cum expresso verbo DEI. Nam Levit. 4. cap. *sacrificia pro peccatis* dividuntur ab ipso DEO in *sacrificia Sacerdotum*, quæ ab ipso etiam DEO definiuntur oblationes pro peccatis Sacerdotum, in *sacrificia totius congregationis*, quæ juxta definitionem ipsius DEI pro peccatis totius congregationis, in *sacrificia principis*, quæ pro

A 3.

pec-



peccato principis & in sacrificia privatorum quæ pro peccatis privatorum offeruntur, itidem juxta definitiones ab ipso Spiritu sancto præscriptas.

XII. Et quadruplicia illa sacrificia tam per summum Sacerdotem, quam per reliquos Sacerdotes solebant offerri. Summus enim sacerdos, tunc Aaron, quemadmodum adolebat in sancto (more aliorum sacerdotum Luc. 1.) suffimentum singulis matutinis, quando aprabat lucernas, Exod. 30, 7. 8. 19. 20. Ita quoque pecora sacrificialia offerebat, Exod. 28, 40. 41. 42. 43. cum primis versu ultimo 43. Levitici nono toto & 10, 8. 9. 10. 11. Levit. 17, 1. 2. 3. Levit. 6, 9. & seqq. Num. 18, 1. cum seqq. & confer cum 2. Par. 29, v. 34. 35.

XIII. In primis igitur ad trutinam verbi divini nobis expendenda est illa differentia, quod sacrificia sacerdotis Socinus scribit non dependere à voluntate populi, sed peragi à sacerdote ex præscripto Dei, pro universo populo, at sacrificia populi requirere voluntatem populi & fieri tantum pro singulis. Utiq; verò nulla sacrificia pro peccatis erant voluntaria.

XIV. Deinde quod pro suo commente pingendo distinguit inter sacrificia stata seu certi temporis & sacrificia non stata, seu non certi temporis, nihil ipsum omnino juvat. Hoc quidem certum est & manifestum quod singulis annis septimi mensis die decimo divinitus ad hanc rem deputato fiebat ingressus sacerdotis in Sanctum sanctorum & solennissimum quoddam sacrificium duorum hircorum, cum juvenco & ariete, ad expianda peccata totius populi.

An Socinus rectè definiat sacrificia diversa.

XV. Et si verò reliquis sacrificijs pro peccato etiam publice faciendis, pro peccatis singulorum sacerdotum vel communitatum vel principum vel privatorum Deus non deputaverat nominatim hunc vel illum hujus vel illius anni & mensis diem, tamen deputaverat ipsidem proximè post peccata perpetrata secutum quodvis tempus. Et omnino maluissent qui peccaverant, tum culpam commissam celare, tum sumptibus pro pecore sacrificiali, tum pro tanto itinere (liquidem ex omnibus locis ad locum quem elegerat Jehova, qualis tandem fuit Hierosolyma, pecora sacrificialia adducere necessum erat) supersedere.



XVI. Nequaquam igitur pendebant specialia illa sacrificia ex voluntate populi. Conscientiæ enim ipsorum fulmine divino tangebantur, quod extat Deut. 27, 26. Maledictus qui non statuerit verba legis istius faciendo illa, & dicit universus populus Amen: quæ verba Moses ad omnes suos quatuor posteriores libros voluit extensa, adeoque simul ad sacrificiorum leges servandas, cunctos post peccata commissa aliqua, illicò expianda, hac ratione obstrinxit.

XVII. Immò Levit. 5. cap. 3. versu 14. 15. mandatur novum genus sacrificij, quod cogebantur præstare illi, qui aliquid negligentius in sacrificijs procurandis commisissent. Ergò si circumstantias sacrificij aliquas negligentes fuere culpatis, multò magis culpandi fuerunt ipsa sacrificia demandata prorsus prætermittentes.

XVIII. Ecce igitur tantis constringebantur ad sacrificia interruptè servanda & post iniquitates commissas præstanda nodis, Levit. 5, 14. 15. Ecce etiam domi sub pœna gravi privatim sacrificare non licebat, Levit. 17, 1. 2, 3. ecce non aliter remissionem peccati commissi sperare licebat, nisi oblato sacrificio pro peccato, Levit. 4, & 5. per totum: ecce quia necessariò præter voluntatem peccantium magni sumtus faciendi erant in sacrificia; iccirco sæpenumero clauda & manca potius quam nulla adducebant pecora sacrificialia, quos Malach. 1, 1. 8. vehementer objurgat. Ecce quia prævidebat Deus illa, iccirco in Mose præcavit ut nemo nisi immaculata adduceret & munda sacrificia, Levit. 22, 1. & Deut. 15.

XIX. His igitur ita sese firmiter habentibus, numne admittemus illud discrimen *Socini*, sacrificia Sacerdotis non dependisse à voluntate populi, sed reliqua sacrificia dependisse à voluntate populi, num admittemus & illud *alterum*, Sacerdotis sacrificia statim facta fuisse temporibus, populi non item. Nam etsi populi sacrificia diem hunc non habebant determinatum, tamen ipsa hominibus conscientia adigebatur ad celerimum sacrificium offerendum illico post commissum peccatum. *Quod etiam privata sacrificia representant mortem*

XX. Non igitur, cur publica saltem sacrificia representarent mortem Christi, ullam rationem afferre solidam potest *Socini*. *Christi probatur.*



*Quod etiam privata sacrificia repræsentarint mortem Christi, nos firmiter probamus inde, quia de Christo moriente proficia repræsentarint mortem* nus. Immo quod etiam privata sacrificia repræsentarint mortem Christi, nos firmiter probamus inde, quia de Christo moriente proficia repræsentarint mortem quæ sunt facta pro peccatis privatorum, Esa. 53, 10. Christus Messias dat animam suam. **Q**UONIAM pœnam pro delicto, sacrificium pro culpa. Sic autem pro privato peccato sacrificium oblatum nominatur Levit. 1, 6. 7. 15. 16. 18. & 6, 5. 6. 15. 17. & 7, 1. 2. 5. 7. 37. & 14, 12. 13. 14. 17. 21. 24. 25. 28. & 19, 21. 22. Num. 18, 9. Vox ergo pro privatis usurpata sacrificijs applicatur Esa. 53, 10. ad Christum, Ergo privata quoque sacrificia ex hoc fundamento repræsentarunt mortem Christi.

*Quomodo publica quo modo privata sacrificia sint definienda contra Socinũ.* XXI. Privata igitur sacrificia ex mente ipsius Spiritus sancti sunt dicendæ privatae expiationes seu privatae figuræ & applicationes meriti Christi, publica vero magis solennes publicæ applicationes ejusdem meriti, neque magis & minus secundum Logicorum regulam facient differre genere, cum constet de utrisque quod utraq; expiarint & sanctificarint ad carnis puritatem. Hebr. 9.

*Etiam quotidie fuerunt a publicè sacrificia, contra Socinũ.* XXII. Sed nec illud prætermittendum, immo attentissime considerandum est, quod ad publica sacrificia omni jure pertineant duo holocausta, quorum unum manet, alterum vesperi offerentia duo facta ferebatur singulis diebus juxta præceptum Domini, Exod. 29, 38. & seqq. Nam apparet ex contextu, hæc diurna sacrificia etiam fuisse facta pro toto seu universo populo. *Hæc enim sunt verba:* Et conveniam illuc cum filiis Israel, Habitaboque in medio filiorum Israel & ero eis in Deus, & scient, quod sum J E H O V A Deus eorum, qui eduxi eos e terra Ægypti, ut habitarem in medio eorum, ego Jehova Deus eorum. Ergo [dixit in præcedenti,] Hoc facies altari ad ostium tabernaculi, agnos anniculos duos indies, quasi diceret, quia in tabernaculo fœderis habitabo ego J E H O V A, ut illic conveniam cum filiis Israël, iccirco quotidie super altare mihi offeres duos agnos, utique, ut patet, propter filios Israël omnes, in quorum gratiâ ibi inter ipsos habito.

23. Immo



XXIII. Immò non difficulter poterit monstrari, eadem divina holocausta cessisse etiam in fructum ipsis Ethnicis ad illum locum confluentibus. Cum enim tempore Herodis circa templum fuerit singulare atrium gentium, cum etiam tempore Salomonis 1. Reg. 8. 41. 42. 43. in templo Salomonis precari soliti fuerint Ethnici, pro quibus exaudiendis ibidem solennissimè intercedit Salomon, cum tempore Mosis Exod. 12, 48. Ethnici certa sub conditione admitterentur ad esum Paschatos, alioquin solis Israelitis præceptum, cum tempore Abrahamæ Gen. 17, 12. alienigena quicumq; seu Ethnicus ad circumcissionem genti Israeliticæ peculiariter institutam admitteretur, utique etiam cunctorum publicorum sacrificiorum participes sunt facti, & iecircò à veritate nequaquam aliena censeri debent *verba Philonis in libro de animalibus idoneis sacrificio deq; victimarum generibus hæc sequentia: Quædam sacrificia sunt pro universa gente, quedam pro universo (si verum fatendum est) genere humano, quedam pro singulis rem divinam facientibus.* Hæc ille.

*Philo de sacrificiorum discriminibus.*

XXIV. Cæterum quod Socinus privatorum sacrificia interpretatur de precibus & de pœnitentia piorum hominum, allegoricum & secundarium est, Ac Psal. 141. 2. non tantùm incensa quotidiana matutina, sed & sacrificia quotidiana vespertina de precibus allegoricè exponit. De incenso matutino lege Exod. 30, 7. de vespertino sacrificio, cui cohæret matutinum, jam modo ex Exod. 29. est actum. Cumq; holocausta vespertina pro universo populo Judaico, immò pro roto genere humano facta fuisse jam paulò ante innuerimus, & publica sacrificia ipse Socinus figuras mortis Christi fateri cogatur, nihil contrarietatis inde sequetur, etsi literaliter & primariò sacrificia typos mortis Christi sed allegoricè & secundariò oblationes pecuarias pro oblationibus precum & pœnitentiæ aliquando in homilijs ad populum explicemus. Qua de re suo tempore plura.

*Quomodo sacrificia possint secundariò pœnitentiam & precationem representare.*

XXV. Et hæcenus Socino ex manibus extorsimus singularem, quem sibi comparare pro commento suo defendendo conatus fuerat, clypeum. Hoc fracto seu disjecto, cætera circa ipsum latentia arma citra difficultatem eidem adimemus.

B

3. Ad





*An agni pro peccatis fuerint oblatis, in lege, & an à sacrificio sumtum videri debeat & possit illud, Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.*

XXVI. *Secundo inquit Socinus loco adhuc eodem, Erratum aliud est, multos scilicet agnos pro peccatis immolatos fuisse, cum in nullo sacrificio, quod pro peccato fieret, agnus immolaretur, sed tantummodò agna seu capella pro peccato privati. Sed maximum hoc esse Socini & grandissimum erratum, statim patebit. Fallitur igitur, si existimat, quod ad expianda peccata divinitus fuerint destinata tantummodo illa sic indigitata Chatta vel Asam, hoc est, sacrificia pro peccato, cum omnium sacrificiorum finis divinus ille fuerit, expiare peccata. Quod enim holocausta expiarint, expressè patet capit. I. Levitici.*

XXVII. *Et quia diversæ sunt conditiones offerentium, quia aliqui sunt divites, qui possunt offerre juvenum, aliqui sunt mediocres qui possunt dare masculum de ovibus vel capris, id est, agnum vel hircum caprarum, aliqui tenues qui poterunt adducere aliquid de turturibus aut columbis, de omnibus trium horum sacrificijs additur sententia Dei.*

*Masculus de ovibus utique erit agnus. Ecce igitur agnus Dei qui tollit peccata mundi.*

XXVIII. *De divitis holocausto dicitur versu 4. Erit acceptabile ad expiandum istum. De eodem illo ipso holocausto dicitur versu 9: Oblatio ignita odoris quietis Jehovæ. Quod prius vocaverat expiationem, in posteriori vocat quietationem. Prius dixit, (juvenus erit acceptabilis ad expiandum,) In posteriori de juveno ardente dixit, (jam) est oblatio ignita odoris quietis Jehovæ. Et quia hæc posterior Phrasis usurpata in divitis holocausto, mox etiam dicitur de mediocris hominis holocausto versu 13. & simul de tenuis holocausto versu 17. (Oblatio ignita odoris quietis Jehovæ;) utique appa-*



apparet, quod hac commodata nomenclatione hæc etiam posteriora holocausta voluerit Deus intelligi & haberi acceptabilia ad expiandum. Esse enim *oblationem odoris quietis Iehove*, nihil est aliud, ac quasi dicas, efficere, ut ex odore illo incipiat quiescere & placatus esse Jehova. Nec tantilli momenti sunt quæ contra scribit Socinus part. 2. cap. 11.

XXIX. Alioquin quod sacrificia speciali de causa speciali nomine pro peccato & pro delicto nuncupata expiaverint peccata (suo modo typicè videlicet) patet Levitic. 4, 3. 13. 22. & 5, 5. 6. & 6. 7. Idem legimus de pacificis sic appellatis sacrificijs, Levitic. 3, 5. Licet enim omnes partes Pacificorum non comburebantur sed quædam comedebantur, tamen de ijs partibus quæ comburebantur, Scriptura loquitur & dicit quod expient. Cæterum hæc eadem vide de minha Levit. 2, 9. 12. de libamine, Num. 15, 7. 10. de suffitu Num. 16, 46. 1. Par. 6, 49. de aliquot conjunctis sacrificijs Num. 15, 24. 2. Sam. 24, 21. 1. Par. 21, 26. Ezech. 45, 15. 17.

XXX. Etsi verò sacrificiorum diversorum fuerunt varia nomina, & fines quoque varij, sicut in *holocaustis* gratiæ universales Deo pro varijs beneficijs exhibebantur & nova beneficia rogabantur, quemadmodum apparet Genes. 8. ubi post holocausta Noachus accepit exauditionem & promissionem, quod non amplius sequi debeant diluvia versu 21. 22. item sicut in *pacificis* gratiæ agebantur Levitic. 7, 11. 12. tamen omnia simul expiabant, quemadmodum paulò antè per species probavimus.

XXXI. Summatim igitur teste sacra Scriptura omnia sacrificia sive pro delicto & pro peccato specialiter ita intitulantur & cognominabantur, sive alijs nomenclationibus quibuscunque nuncupabantur, expiarunt, immò quandoq; hæc Phrasib tribuitur nummis pro quibus emuntur sacrificia, Exod. 30, v. 12. 13. 14. 15. Quomodo p- ubi agitur de solvendo siclo argenteo & additur v. 15. Dives non augebit, cunia tribua- & pauper non diminuet de dimidio siclo, quum dederint obla- tur Expiandi tionem Jehovæ AD EXPIANDAS ANIMAS VESTRAS. Acci- notio. piesq; argentum expiationū à filijs Israel & dabis illud in opus

B. 2

taber-



tabernaculi Ecclesiae, eritq; filijs Israel ad memoriam coram  
Jehova AD EXPIANDUM ANIMAS VESTRAS.

*An agni non fuerint adhibiti in sacrificijs, id quod contendit Socinus.* XXXII. Sed ad rem. Agni fuerunt adhibiti ad expianda peccata, non tantum in alijs sacrificijs, qualia extant Levit. 14, 12. Num. 6, 12. sed etiam quotidie mane & vesperi, ut probatum fuit antea. Jam vero politia Mosaica duravit annos *secundum qualemcunq; computationem* à morte Mosi ad destructionem circumiter 536. Ergo si statuas quotidie duos agnos pro holocausto in odorem quietis Jehovæ seu pro universo Israele, seu ut Philo vult, pro universo genere humano placando & expiando sacrificatos, & si miseris ex abundantissima abundantia 536. annos, propter captivitatem Babylonicam & alia iniqua tempora, quæ tamen tantum numerum non complent, tum intra mille annos oblatis fuerit agni 730000. Videant igitur Sociniani, an recte Socinus dixerit, erratum esse, quod agnus pro sacrificio fuerit oblatus.

XXXIII. Et hæcenus de illa objectione Fausti Socini Senensis, quasi in sacra politia nulli fuissent agni oblatis pro peccatis. Tor enim fuerunt oblatis agni ut jam computavimus ad expianda peccata. Offerre autem pro peccato, & offerre ad expianda peccata, quid quæso differentia continebunt.

L.II.

*An epistola ad Hebræos sacrificia nominet typos?*

XXXIV. Sequitur tertia objectio Socini. Tertium inquit, erratum multo gravius est, quod in Epistola ad Hebræos passim dicatur, sacrificia illa legalia Christi mortem adumbrasse, qua Deo satisfaceret, CUM NE VERBUM quidem in tota illa Epistola de ista satisfactione dicatur. *Hæcenus verba Socini*, quorum confidentiam & audaciam non satis mirari habuimus.

XXXV. Audiantur enim ex Epistola ad Hebræos hæc sequentia.

*Primum.* Hebr. 5, 1. 2. 3. 4. 5. 6. Omnis Pontifex ex hominibus assumitur, & pro hominibus constituitur, ut offerat donaria & victi-



victimam pro peccatis, Nec quisquam sibi sumit hunc honorem  
sed qui vocatur, sicut & Aaron, Ita Christus non sibi hunc hono-  
rem tribuit, ut fieret Pontifex, sed is qui dixerat ei, Tu es Filius  
meus, Item, Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedeck.

Hebr. 7, 11. Si consummatio per Leviticum sacerdotium *Secundum.*  
erat, quid amplius erat opus alium oriri sacerdotem secundum  
ordinem Melchisedec, nec secundum ordinem Aaron dici.

Hebr. 7, 18. Mandatum *præcedens* abrogatur, quod nullis *Tertium.*  
viribus sit præditum & inutile, Nihil enim sanctificavit lex, sed  
adscita spes melior, per quam appropinquamus Deo.

Hebr. 7, 27. Cui non necesse sit quotidie, quemadmo- *Quartum.*  
dum illis Pontificibus, prius pro peccatis proprijs victimas of-  
ferre, deinde pro peccatis populi, NAM ID FECIT SE-  
MEL, quum semetipsum obtulit, Lex enim homines constituit  
Pontifices infirmos, at sermo juris jurandi post legem Filium, qui  
in æternum est sanctificatus.

Hebr. 8, 4. Si esset in terra, ne sacerdos quidem esset, ma- *Quintum.*  
nentibus illis sacerdotibus qui secundum Legem offerunt do-  
na, Ut qui EXEMPLARI & UMBRÆ deserviunt rerum  
cœlestium. 7. Et si prius illud tale fuisset, ut NIHIL in eo  
POSSET REQUIRI, haudquaquam SECUNDO (fœ-  
deri) fuisset quæsitus locus.

Hebr. 9, 1. Igitur habebat prius constitutos ritus reli- *Sextum.*  
gionis, & sanctuarium mundanum, 9. Quod erat EXEM-  
PLAR, pro tempore præsentis, quo dona sacrificiaq; offerun-  
tur, In ritibus carnalibus, At Christus accedens Pontifex fu-  
tutorum bonorum, non PER SANGUINEM HIRCO-  
RUM & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est  
semel in sacrarium, æternam redemptionem nactus.

Ibidem vers. 13. Si sanguis taurorum & hircorum sanctificat ad *Septimum.*  
carnis puritatem, quanto magis sanguis Christi purgabit consci-  
entiam vestram, Itaq; ob id novi fœderis mediator est, ut mor-  
te intercedente ad redemptionem earum prævaricationum, que  
fuerant sub priori testamento, ij qui vocati sunt, promissio-  
nem accipiant æternæ hereditatis.

Ibid. vers. 23. Itaq; necesse fuit EXEMPLARIA qui *Octavum.*  
dem.



dem eorum quæ sunt in coelis, hisce rebus purificari, ipsa verò  
caelestia potiora quàm hæ sunt victimis. Non enim in manu-  
factum sacrarium ingressus est Christus, quod sit EXEM-  
PLAR VERØ respondens, sed in ipsum coelum, neque ut  
sæpè offerat semetipsum, sicut Pontifex ingreditur in sacra-  
rium quotannis cum sanguine alieno, Alioquin oportuisset  
eum sæpè passum fuisse à condito mundo, sed nunc SEMEL  
in consummatione seculorum ad abolendum peccatum per  
immolationem sui ipsius patèfactus est.

*Nonum.*

Hebr. 10, 1. Lex UMBRAM obtinens futurorum bono-  
rum non ipsam imaginem rerum, his hostijs quas singulis an-  
nis offerunt easdem assiduò, nunquam potest accedentes san-  
ctificare. Alioqui non desissent offerri propterea quod nul-  
lam jam habuissent conscientiam peccatorum qui sacrificaf-  
sent ac semel purgati essent. Atqui in istis reperita mentio  
fit peccatorum quotannis. Non enim potest sanguis tauro-  
rum & hircorum auferre peccata. QUAPROPTER in-  
grediens mundum, dicit, Sacrificium & holocaustomata  
noluisti, corpus autem aptasti mihi, Tunc dixi, Ecce adsum,  
ut faciam DEUS voluntatem tuam. Cum superius dixif-  
set, Sacrificium & oblationem & holocaustomata & hostiam  
pro peccato noluisti, neque comprobasti (quæ juxta Legem  
offeruntur) Tunc dixit, Ecce adsum, ut faciam voluntatem  
tuam, TOLLIT PRIUS, ut POSTERIUS statuatur.  
Per quam voluntatem sanctificati sumus, PER OBLATIO-  
NEM CORPORIS JESU CHRISTI semel factam.  
Omnis igitur sacerdos astat quotidie operans & easdem sæpius  
offerens hostias, Hic verò una pro peccatis oblata victima in-  
perpetuum sedet ad dextram Dei, Unicà enim oblatione conse-  
cravit in perpetuum eos qui sanctificantur.

*Decimum.*

Huc deniq; pertinet totum caput undecimum de fide in  
hunc promissum novi fœderis Pontificem, cujus amore omnia  
sperarint, expectarint, tolerarint pientissimi quiq; in Ecclesijs  
veteribus homines.

Huc deniq; pertinet sententiola plusquam aurea verf. 8.  
cap. 13. JESUS CHRISTUS heri & hodie, idem est etiam  
in



in secula. Item illud cap. 13, 10. 11. 12. Habemus altare, ex quo non habent jus edendi, qui tabernaculo deserviunt, Quorum enim animalium sanguis infertur pro peccato in sacrarium, per Pontificem, horum corpora exuruntur extra castra. Quapropter & Jesus ut sacrificaret per proprium sanguinem populum, extra portam passus est, Excamus igitur ad eum extra castra, &c.

XXXVI. Horum decem locorum sententiam cuius mediocriter attento satis constare posse arbitramur, in modum hunc qui sequitur, 1. Sicut Levitici potuissent per se expiare, non opus fuisset alia Pontificis alterius expiatione, 2. Si Levitici ritus abrogantur adveniente Christo, ipsi per se nihil potuerunt expiare. 3. Quod illi fecerunt suo modo sapius, ut exemplaria ut umbra, hoc Christus completè perfecit unâ oblatione ut corpus. 4. Veteres fiebant oblationes per sanguinem pecorum imperfectæ, perfectissima fiebat oblatio Christi per proprium sanguinem Christi. 5. Christi oblatio etiam abstulit peccata antecedentium temporum. 6. Si tam completa non fuisset oblatio Christi, sapius ipsum pati necesse fuisset, at una oblatione abolevit peccatum. 7. Si veteres ritus aliquid perfectionis quoad expiationem habuissent, non sapius quotannis fuissent repetiti. Christus igitur ingressus dixit, Video patri meo non satisfacere Leviticis ritus, ego igitur per oblationem corporis mei sanctificabo consecrandos. Reliqua sub initium & finem allegatorum per sese patebunt, & hinc utiq; nemo non colliget, vetores ritus nihil fuisse nisi typos, quia si fuissent in se & ex se & per se præditi perfectæ virtute, non opus fuisset Christi oblatione.

XXXVII. Etsi autem initio postulant adversarij, ut ipsis *ἀπαρῶν* demonstremus, in sacris literis hanc Phrasin, quod sacrificia satisfecerint divinæ justitiæ, (sicut inquit Socinus part. 2, c. 11. his verbis: quia reliqui hanc Phrasin judicant eandem esse, cum altera illa (Sacrificia Expiant) ego nondum legi, ipsa sacrificia seu victimas expiasse, sed tantummodò sacerdotem illis peractis, populum vel aliquem aliquosque ex populo, sive pro



pro ipsis expiisse: ) tamen nescio quo instinctu in contrarium raptus tacite satisfactionem concedere necessum habet, dum ibidem è vestigio addit, se concedere non modò dictum sed & verissimum esse, victimas ipsas expiare.

XXXVIII. Nimirum vidit extare testimonia, Levit. 1, 4. ubi omnis juvenecus, qui adducetur ad holocaustum post impositas manus dicitur esse acceptabilis adducenti ad *expiandum* ipsum. In eodem capite vers. 9. & 17. de reliquis jam super ligna ardentibus agnis & avibus dicitur, quod sint oblatio ignita odoris *quietis* Jehovæ. Quod enim antea expiationem vocaverat vers. 4. id nunc quietationem Jehovæ vocat.

XXXIX. Atq; in specie de omnium victimarum sanguine extant præcepta Dei, quod is debeat spargi super altare Lev. 1, 5. 11, 15. & 3, 2. 8. & 4, 7. 18. 25. 30. 34. & 5, 9. & additur mandatum severissimum Levit. 17. ne quis sanguine pecorum sacrificijs destinatum vescatur sub pœna mortis versu 4. Ratio annotatur vers. 6. *Sparget sacerdos* ( in loco publico sacrificij ) **SANGUINEM ad altare. & adolebit adipem IN ODOREM QUIETIS JEHOVÆ.** Clarius mox vers. 11. *Anima carnis* in sanguine est, *Ego autem dedi illum vobis super altare ad EXPIANDUM* animas vestras, quia **IPSE SANGUIS ANIMAM EXPIABIT.** Ecce, in sanguine animalis statuit Deus animam animatis & sanguine vult expiari animam peccatis, ne anima hominis ipsa cogatur pœnam luere. Revocet igitur Socinus suum marginale scholium hoc, *Ipsas legales victimas peccata expiasse* Nusquam fortasse legitur.

*An in vocabulo EXPIARE sit vis vocabuli alterius satisfacere.*

XL. Deinde aggreditur Socinus vocabulum Expiare, & dicit se in hoc nequaquã posse agnoscere vim vocabuli alterius quo nostras Ecclesias nimis frequenter & temerè uti dicitur **SATISFACERE.** In fine quoq; tertiæ partis tragicè de hoc ipso vocabulo conqueritur, illud non immeritò doctrinam nostram suspectam reddere posse, cum semper sit in ore Ecclesijs nostris, ac si illud vocabulum **INFINITES** in scriptis sacris legissent.

XLI. Expiare igitur ( *inquit cap. 11. part. 2.* ) non est satisfacere divinæ justitiæ, sed peccatorum reatum auferre & ea pur-



purgare alio modo, quàm satisfactione. Hanc suam mentem con-  
titur probatam dare ex verbis Hebræis quibus utitur. **Mos Es,**  
**Caphar & Chitte.** Illius, [inquit,] propria significatio est Tegere,  
operire, oblinere, oblinendo obturare, unde  $\pi$  (expiantur pecca-  
ta) est (teguntur & absconduntur peccata) nimirum à Deo sive  
Dei gratia & benignitate (sine ulla satisfactione.) Aliqui ver-  
tunt, propitiari, aliqui condonare. Hujus (inquit) significatio est  
mundare & purificare, Psal. 51. Asperges me hyssopo & munda-  
bis me.

De Caphar  
Socinus.  
De Chitte  
Socinus.

**XLII.** Et si verò contendit Deum principaliter expiare pec-  
cata, tamen addit, dici quoq; **Poss E,** Nos expiare peccata, quan-  
do facimus ea quæ ille à nobis omninò vult fieri, si velimus expe-  
riri hanc ejus liberalitatem, cum igitur populus Israëliticus ob-  
tulerit sacrificia, hoc eodem (pergit ille) sensu sacrificia expiare  
credendum est, quæ pro peccatis offerebantur, non quod sacrifi-  
cijs ulla inesset vis, sed quod Deus peccata remittebat obedienti-  
bus & præstantibus ceremonias sacrificandi. Deus enim [inquit]  
propter ingentem misericordiam suam, illis sacrificijs peractis,  
volebat ipsos ejusmodi peccatorum plenam condonationem  
consequi.

**XLIII.** Ecce lector hanc Socinus excogitavit causam, cur  
in sacris literis dicantur sacrificia expiare. Et si autem culpam ne-  
quit, quod obædientiam sacrificantium **DEO** gratam fuisse disse-  
rit, tamen adhuc manet imperfecta res. *Questio enim est nunc inter*  
*nos & Socinum illa, Cur DEUS sibi voluerit ita obædiri & præstari*  
*talem & non alium ritum, mactationem nimirum pecorum, &*  
*cur non nisi sanguinem dederit expiatorem peccatorum.*

Statu contro-  
versie propin-  
quior de sacri-  
ficijs.

**XLIV.** Et omninò necesse est subesse magnam causam, cur Deus  
talem & non alium modum expiandi præscripserit populo suo.  
Ecce enim oprime lector, duravit ritus comburendi pecora inde  
ab initio mundi statim post lapsum usque ad exaltatum Christum  
facilioris computationis gratia, annis ad minus 3500. quem mino-  
rem numerum ideo ponimus, quod in Ægypto, & incaptivitate Ba-  
bylonica & in alijs ejusmodi casib; & temporib; sacrificia siluerint.

**XLV.** Deinde qualis consuetudo fuit sacrificandi sub poli-  
tia Mosaica, quantum vis auctior, talis ex magna parte fuit et jam  
ab Adamo ad Moysen.



*Brevissima in-* XLVI. Præterea persistentes saltem intra politia Mosaicæ tempora:  
*digitatio com-* cogitabimus immensum numerum agnorum quotidie offerri &  
*putandi sum-* comburi solitorum quem supra posuimus. Tu lector ipse nunc  
*tus sacrificia-* post agnos supra positos numerata intra mille annos, quotnam Sab-  
*hium pecorum* batha fuerint, & quotnam menses novi fuerint, item his mille an-  
*combustorum,* nis numerata saltem mille Paschales ferias, mille Pentecostales fe-  
rias mille Scenopeiales ferias & millicupla numerum omnium  
sacrificiorum quæ singulis Sabbathis, novilunijs, ferijs Paschalibus,  
Pentecostalibus & Scenopeialibus divinitus præscripta fuere, vi-  
debis ingentem summam.

XLVII. Quolibet Sabbatho præter duos agnos quotidianos  
alij duo offerebantur: in qualibet nova lunatione duo juvenci, a-  
ries unus, agni-anniculi septem, & hircus caprarum, in quolibet  
Paschate per 7. dies duo juvenci, aries unus, septem agni-anniculi  
& hircus, in quibuslibet Pentecostis itidem ferme totidem, in Sce-  
nopeialibus quid per aliquot dies offerendum, cognosce ipse le-  
ctor benevole ex cap. 24. Numer.

XLVIII. Tacemus de sacrificijs ex voto aut sponte oblatis,  
de sacrificijs pro peccatis ex jussu divino, de sacrificijs in dedica-  
tionibus, consecrationibus, tacemus de primogenitis bouum, o-  
vium, caprarum Deo mactandis. In dedicatione templi Salomo-  
nis offeruntur 22000. boves, 120000. oves, 1. Reg. 8, 63. Si quis glo-  
ria Dei cupidus calculum quendam saltem per mille annos com-  
putare gestiret, & pleraque assequi posset, is sumtum magnam &  
propemodum insperatam multitudinem colligeret, *de qua non im-*  
*Cui D. E. V. S* merito aliquis cogitationem suscipiet, (jam aures arrigite Sociniani,) cur  
*mandarit tan-* Deus non potius pecora [ summis studijs & impensis educata ]  
*tam pecorum* maluerit indulgere visibus hominum, & cum certissimi reddamur  
*combustionem* ex verbo Dei quod genus cultuum hoc non aliud ipsi tunc placue-  
*& sanguinis* rit, sine omni omni dubio colligere quilibet cogatur & ur-  
*infiniti effu-* gebitur, Deum per inestimabilem propemodum copiam macta-  
*sionem.* torum-pecorum, &c. singulare aliquid (non tantum suo populo,  
verum per hoc spectaculum in oculos totius mundi incurrens to-  
ti mundo) representare & inculcare voluisse.

XLIX. Et hoc unum est, quod fuit diligenter expendendum:  
ascedit aliud, nimirum quia in sacris literis (quoad actum sacri-  
ficij)



ficij) & Sacerdotes & sacrificia ipsa dicuntur expiare, videndum est ex sacris literis, de vero utriusq; sensu.

L. Sacerdotes igitur expiant hominem, quando pecus sacrificiale adductum excoriant secant, sanguinem spargunt, in altari adolent. Lege n. Levit. 4. 16. 17. 18. 19. processum, & conclusionem hanc vers. 20. Juvenco v. faciet, quemadmodum fecit juvenco obiato, pro peccato, sic faciet Et, atq; Ita expiabit eos Sacerdos, & remitteretur eis.

L. I. Similia habentur eodem capite vers. 31. Totum adipem ejus auferet, quemadmodum ablatum fuit a deo a sacrificio pacificorum, adolebitq; Sacerdos super altare in odorem quietis Jehovæ, atq; ita expiabit eum Sacerdos & remitteretur ei. Similia sunt versu 35. item cap. 5. 10. item eodem capite conjunctim versibus 12. & 13. & 16.

L. II. De Deo igitur in his verbis dicitur quod remittat, de homine quod ei remittatur, de Sacerdote quod per ceremonias expiet, de sacrificijs quod fiant acceptabilia ad expiandum, quod fiant oblatio ignita odoris quietis Jehovæ, quod Sacerdos expiet hominem in ariete, vel cum ariete oblationis pro delicto: *de offe-  
rente quod ipse expiet; nuppiam possumus invenire testimonium.*

L. III. Cur autem suo modo expiandi vim ex Dei voluntate habuerint sacrificia, (ut superiora ex Genesi, ex Psal. 110. ex Esaia & ex Daniele non repetamus) decem aphorismi ex Epistola ad Hebr. gravissimè docent, nimirum ut typi, ut umbræ, ut exemplaria rerū, interim ex beneplacito Dei sua ratione & suo modo, unde sæpè reperti necesse habuerunt, donec Christus in suo corpore omnia perfectissimè semel expiaret. Si consummatio per Leviticum Sacerdotium erat, quid opus erat alium exoriri Sacerdotem non secundum ordinem Aaronis. *Quid his verbis clarius?*

L. IV. Si perfectio erat ex Sacerdotio Levirico, quid opus erat alio, & consequens versus 27. continuo nexu cohærens cum 11. & cum reliquis undecim sequentibus ostendit quid sit *inconsummatio seu imperfectio Sacerdotij Levitici, quid sit consummatio & perfectio Sacerdotij Christi, Cui (inquit) non sit necesse, quemadmodum illis Pontificibus prius pro peccatis proprijs victimas offerre, Deinde pro peccatis populi, Nam id fecit semel cum semetipsum obrulit. Legat benevolus & pius lector cap. 7. ad Hebr. connexionem à*



versu 11. usque ad finem, & non nisi hanc jam indigitatam sententiam ibidem deprehenderet.

L V. Eadem sententia extat capite 8. à versu 4. usque ad finem. Sacerdotes ( Levitici ) exemplari & umbræ rerum cœlestium inserviunt, sed versu præcedente, omnis Pontifex ad offerenda dona & victimas constituitur, unde necesse fuit hunc quoque habere quod offerret. Quid his ipsis manifestius? Eadem clarius & copiosius perrexuntur capite nono & decimo, & cum primis capite decimo, Non potest ( quotannis reperitus ) sanguis taurorum auferre peccata. QUAPROPTER ingrediens mundum dicit, Ecce adsum ut faciam voluntatem tuam, per quam voluntatem sanctificati sumus, PER OBLATIONEM CORPORIS JESU CHRISTI semel factam. Omnis igitur Sacerdos astat quotidie, Hic verò una pro peccatis oblata victima, & c. item, Hebr. 7. præcedens mandatum erat nullis viribus prædictum & inutile, & c.

#### IV.

#### *Quomodo sacrificia sint figuræ.*

LVI. His ita stantibus, vanum est aliud Socini commentum. Suo enim ex cerebro & ex sua interpretatione Socinus concedit sacrificia expiare, sed ut figuras. *Facit autem prorsus novum genus figurarum.* Neque enim inter figuram & figuratum vult admittere illam jam ex epistola ad Hebræos indigitatam differentiam.

LVII. Proponit autem sibi pro fabricando novo genere figurarum, exemplum serpentis ænei ( tanquam figuræ Christi ) verbi causa, & figuram illam dicit aliqua & umbraliter seu leviter sanasse, Christum verò illo serpente æneo repræsentatum potenter omnia sanasse, sicut semper corpus potest plura quàm umbra corporis. Utrumque igitur aliquid continere concedit similitudinis umbram minus corpus plus. Sicut enim *inquit*, quicumque serpentem illum aspiciebant, à morsu serpentis sanabantur: Ita qui Christum aspiciunt, à Diabolo sanantur. Sanabat serpens leves morbos ut umbra, CHRISTUS ut corpus spirituales maximos. Sic *inquit* sacrificia & mors Christi in eo conveniunt, quod utrobique



bique aliquid expiatur, in sacrificijs scilicet tenuia, sed in morte Christi etiam omnia gravissima peccata.

LVIII. *Huc conatur attrahere illud Actor. 13, 38. In Christum quod in qui- credentes justificari ab omnibus, à quibus Lex Mosis justificare busdam sacri- non poterat. Pro gravibus enim inquit cap. 11. sola sacrificia fuerit re- stituta fuerunt) non sufficiebant, imò ad expiationem faciendam satisfactio ex- etiam proximo laeso cumulatè à sacrificante satisfaciendum erat, ternaproximo ut patet Levit. 6. è principio. prestanda.*

LIX. Cum primis illud magnum sacrificium Levit. capite Alia magni So decimo sexto etiam non nisi pro levibus peccatis & pro igno- cino visa obje- rantijs alia anni parte non expiatis fuisse institutum conatur asserere- ctio. re ex Hebr. 9, 6. His verbis: His verò ita compositis in prius quidem tabernaculum semper ingrediuntur Sacerdotes sacrificiorum of- ficia consummantes, in secundum autem semel in anno solus Pontifex non sine sanguine, quem offert pro se ipso, & pro Popu- & I ignorantijs.

LX. Urget vocem Græcam ἀγνοῦν quod ea eleganter ex- primat Hebraicam Scegagah qua ulus sit Moses Levit. 16. Hæc vox inquit significat ubique errorem & ignorantiam sive pecca- tum quod non à cordis malitia sed ab incogitantia & impruden- tia proficiscitur, Num. 15, 25. Expiabit Sacerdos universam congregatio- nem filiorum Israel & condonabitur illis quia error est. Urget etiam mox consequentia in eodem capite hæc versu 30, 31. Sed anima qua fe- cerit in manu excelsa, tam civis quam peregrinus, Jehovam probris affe- cit, atq; excidetur anima illa è medio populi sui, quia verbum Jehovæ sèbrevit & præceptum ejus irritum fecit, excidendo excidetur anima illa. iniquitas ejus erit in ipsa.

LXI. Verum enim verò quod attinet ad vocabulum Scega- gah, illud non extat in toto capite decimo sexto Levitici, sicut in Græca septuaginta vulgò sic dicta versione in eodem capite no- menclatio ἀγνοῦν τῶν νῦσπιαν apparet. In Hebræo extant Levit. 16, 16. radices נשׁו & נשׁו & נשׁו item versu 21. נשׁו quæ nequaquam de erroribus leviculis & de igno- rantijs usurpantur. Nam primum vocabulum נשׁו usurpatur Levitici 18, 24. de petulantissimis libidinibus Chananzorum, E- zech. 22, 3. 4. de idolatria & 9, 7. de homicidijs. Secundum נשׁו 1.



Reg. cap. duodecimo versu decimo nono, de pertinacissima rebellionē, tertium **שׁוֹגַג** de vituli aurei idololatria Exodi capite trigesimo secundo, versu trigesimo primo, Item de horribilibus multis petulantissimis & pertinacissimis peccatis propter quæ secuta fuit captivitas Babylonica, Thren. cap. primo versu octavo, deniq; *ultimum* **שׁוֹגַג** usurpatur de filij Saulis contumacia, 1. Sam. cap. vigesimo versu trigesimo, de maledicentia Simei, 2. Samuel. cap. decimo nono versu vigesimo, de superba populi numeratione per Davidem facta 1. Par. 21, 8. de omnibus petulantissimis iniquitatibus & prævaricationibus, ob quas secutæ fuerunt graves captivitates populi Israëliti, Dan. 9, 5.

De vocabulo  
**Seegagach.**

LXII. Quod attinet ad vocabulum Hebræum Levit. quarto capite, ternis vicibus usurpatum à themate **שׁוֹגַג** *Sebagag*, cuius solius præsidio sese munire conatur & victoriam impetrare allaborat Socinus, quasi ignorantiam & leviculum errorem complectatur, itidem diligenter de eo est admonendum. Extat idem vocabulum in his verbis Psal. 119. vers. 67. *Priusquam humiliarer, ego E R R A B A M, nunc autem eloquium tuum custodio: quæ verba psalmi penitus sunt videnda.*

Custodire elo-  
quia Dei.

Errare in elo-  
quijs Dei.

LXIII. Ex hac autem oppositione quilibet facilimè dijudicabit, quod *custodire eloquium Dei* sit custodire præcepta Dei, majore quam antea attentione, majore cura, majore zelo, singulariore cum diligentia, cum peculiariore studio cavendi offensiones Dei & poenas contumacibus debitas. Deinde quod *ERRARE* nihil possit esse aliud, quam non custodire eadem præcepta, tanta (ut nunc post poenas inflictas) attentione, cura, zelo, diligentia, & studio vitandi poenas, sed vitam agere securiorem, & quasi incogitantiosem, nec tanta sedalitate à prævaricationibus sibi temperare, quod nullam senserit hucusque poenam DEI. Opponitur igitur 1. *diligentior attentio & studium intentius*, 2. *error ut volunt, scilicet supinus, seu incuria seu securitas & culpa lata.*

LXIV. Conferantur jam tria loca unius capitis quarti, cuius præsidium propter vocem *Seegagach* implorat Socinus, in Levitico cum his ipsis. *Versu tertio*, Sacerdos dicitur quidem tale peccatum committere. **AD DELICTUM POPULI UT**

tean



scandalizet populum. Sed quod grande fuerit scandalum patet  
ex severo processu in sacrificio ipsius, quia in horrorem juven-  
cus cum pelle, capite, carne & fimo extra usitatum sacrificiorum  
locum eductus comburebatur. Eadem ratione per omnia sese-  
res habet cum peccato [erroris ita per interpretem conversi &  
nuncupati,] commisso à communitate aliqua, quod prius late-  
bat sed postea innotescebat congregationi versu decimo tertio &  
decimo quarto, ubi itidem in horrorem tam horridus cum sacri-  
ficio processus instituebatur. [Breviter hoc & non aliud repetitur  
Num. 15, 22. 23. 24. 25. 26,

LXV. Similiter se res habet cum principe versu 22, 23. Si prin-  
ceps per errorem ut verterunt interpretes deliquerit & si indica-  
verit [exaggeraverit] ei aliquis peccatum in curia, item cum pri-  
vato aliquo, versu 27, 28. Si anima peccaverit per errorem in eodem  
sape jam dicto intellectu, & si indicarit ei, &c. Pagninus vel in-  
dicarit: rectius, si indicarit.)

LXVI. Quod ad privatam quemcunque attinet, errantem textualis est  
hoc modo, sciat benevolus & pius lector, in Biblijs Pagnini de hoc matio & con-  
agere Levit. caput quartum à versu 27. usque ad versum 14. ca. firmatio de er-  
pitis quinti Levitici, Id quod accuratissima pensatio duorum roris vocabulo-  
capitum quarti & quinti oculatissimo alicui evidentissime perspi- per Socinum  
cum & manifestum faciet. Versus igitur viginti tres, videlicet perperam ex-  
novem in capite quarto & quatuordecim in capite quinto tra- plicato.  
Etant de errore commissa à privata persona, sicut vertendum esse So-  
cino libuit.

LXVII. Et quidem à versu 27. capitis quarti usque ad finem  
ejusdem capitis docetur, quod persona privata pro peccato erro-  
ris debeat afferre in usum sacrificij pro lubitu V. E. L. C. A. P. E. L.  
L. A. M. caprarum immaculatam sceminam versu 28. V. E. L. P. E. C. U.  
D. E. M. (ovem) sceminam immaculatam versu 32. Annectitur au-  
tem statim post versum 28. quo processu sit sacrificanda à privato  
aliquo propter errorem sic juxta mentem Socini vertendum &  
commisum allata capella, sicut etiam statim post versum 32. ad-  
ditur quo processu sit sacrificanda à privato aliquo propter erro-  
rem commissum allata pecus vel ovis.

LXVIII. His pramissis DEINDE initio capitis quinti versibus

qua-



*Audi lector* quatuor prioribus enumerantur exempla peccatorum commisso-  
*quid erroris* rum, per errorem à privatis personis, nimirum 1. Reticentia abusus  
*per Socinum* & contumeliæ in nomen divinum ab alijs factæ versu 1. 2. Conta-  
*ita vertere jus-* ctus cadaverum & similium rerum immundarum versu 2. 3. Con-  
*si nomine ve-* tactus hominis immundi, versu 3. 4. Juramentum incogitans, in-  
*niat in scri-* consideratum vel temerarium versu 4.  
*ptis.*

LXIX. Hos quatuor versus exempli loco proposuit Deus, ut  
injiciat de similibus infinitis judicium. Semper enim lex divi-  
na, ut etiam in præceptis Decalogi brevissimis, unum casum, ver-  
bi causa præcepto septimo FURTA proponit & vult infinitos alios  
subintelligi, quemadmodum notum est etiam pueris ex ausculta-  
ta explicatione catechetica septimi præcepti.

LXX. De his quatuor casibus (ita de similibus alijs) dicit rex-  
tus, juxta translationem Pagnini quod LATEANT & COGNO-  
SCANTUR cap. 5. vers. 2. 3. 4. item quod NOTA fiant, vel IN-  
DICANTUR capite 4. vers. 14. 23. 28. nimirum quia non omni-  
bus satis grave putatur, quod sit æque magnum peccatum. 1. PE-  
FERARE IPSUM & 2. tolerare seu impunè ferre pejerantem,  
quia item non omnes satis acriter, putant & æstimant omnia im-  
mundorum discrimina, siquidem omnes species immundorum  
animalium Deus non recensuit in sua lege, sed tantum aliquas, &  
ex paucis vult disci judicium de reliquis cunctis (Nec enim Le-  
vit. 11. & Deut. 14. literaliter enarrantur omnia concessa, & omnia

*Lectorem ro-* prohibita Judæis, Utrum nostros cancos edere debuerint Ju-  
*gat auctor ut* dæi, ibi non deprehendes lector) quia item varij casus, sunt im-  
*propter Socini* mundandi hominem ex conversatione aliorum hominum men-  
*strophas tam* struatorum & seminifluorum, &c. Levit. 12. & 13. & 14. & 15. in qui-  
*argutam tex-* bus vitandis magna ignavia hominum occurrit, quia denique in  
*tuum resoluti-* colloquijs quotidianis non tantum ex infirmitate, sed & ex præci-  
*onem institu-* pitantia supina, non parum erat & peccat homo.

*tam ipse lector* LXXI. Quando igitur his quatuor modis vel alijs cognatis  
*cordatus non* delinquit homo, & seipsum recolligit & æstimat de suo peccato,  
*ex his chartis* vel ab alio etiam eruditur & monetur, tum Sacerdos & commu-  
*sd ex diligen-* nio & princeps ita delinquens offerret ea de, quibus antea dictum  
*te textuum i-* est. Privatus autem ita delinquens offerret fœminam, vel capram  
*psorum medi* v. Novem versu 28. & 32. capitis quarti.  
*tatione consi-*  
*deret.*



LXXII. De hoc privati sacrificio ubi pro lubitu vel capram vel ovem offerre debet propter commissum *privatus*, dixit Moses capite quarto à versu 27. usque ad finem in versione & distinctio- ne Bibliorum Pagnini, De eodem sacrificio suam capite quarto versu 28. & 32. pronunciatam sententiam iterum repetit (Post interposita & absoluta exempla casuum talis huc usque vocati er- roris) Moses capite quinto versu 5. 6. *his verbis*: Erit autem quum deliquerit (per errorem hæctenus sapius ita vocatum *privatus* de quo capit Levit. 4. 27. agere) in uno ex istis (exempli gratia adductis casibus erroris Levit. 5. 1. 2. 3. 4.) & confessus fuerit id super quo peccavit, (agnoverit peccatum.) Adducet oblationem pro deli- cto suo Jehovæ fœminam de grege, AGNAM, aut CAPELL- LAM caprarum pro peccato, & expiabit eum sacerdos.

LXXIII. Ecce lector optime, ex versu 28. & 32. capitis 4. Levi- tici Moses repetit breviter sacrificium à privato propter erroris sæ- pe huc usque definiti iniquitatem commissam offerendum, repe- tit inquam nomina tantum, non verò etiam repetit processum sa- crificandi agnam vel capram quem posuerat priore capite prolixè, (Et hoc est illud quod ex parte repetitur, Num. 15. 27. 28. 29.)

Lector nisi  
omnia hæc  
cum textibus  
contuleris ipse  
tadio afficie-  
ris.

LXXIV. Sed quia *privatus* (aliter enim in sacerdote, in com- munitate integra aliqua & in principe sese res habebat, unde in his tribus non ponit Moses triplicia sacrificia pro errore commi- so.) quia inquam *privatus* alius est re familiari non prorsus tenui, alius magis mediocri, alius prorsus pauper & extenuatus, ideò pro triplici conditione triplicia pauperibus præscribit sacrificia.

LXXV. Pro privato non prorsus tenui præscribit Agnã vel Capellam, Lev. 4. 28. 32. Levit. 5. 5. 6. de quo privato hæctenus multa diximus. Pro privato mediocri duos turtures vel duos pullos columbarum Levit. 5. 7. 8. 9. 10. quibus versibus simul processus in hoc mediocri privati sacrificio servandus describitur. Pro privato prorsus pau- pere decima dars epha similæ sine oleo & sine thure, Levit. 5. 11. 12. 13. ubi itidem annectitur processus servandus in hoc pauperis pla- nè hominis sacrificio.

LXXVI. His quoque absolutis prorsus alias duas affert leges de errore, huc usque sapius denominato, 1. pro sacerdotibus, pro com- munitate integra, pro principe & pro privato de prævaricantibus, per er- rorem

D

rorem





Lector me-  
mento hac  
cum ipsis tex-  
tibus non col-  
lata non in-  
telligi.

Ufus præceden-  
tium ex tex-  
tibus nimis  
forsan prolixè  
investigato-  
rum.

rorè omissionis in leges de primitiis & de similibus sanctificationi-  
bus, ut talis prævaricator sacrificet arietem & supernumeret quin-  
tam partem imminuta sanctificationis, Levit. 5. 14. 15. 16. 2. de  
prævaricationibus per errorem *Commissionis* in eadem leges.  
LXXXVII. Hanc esse mentem legis declarat oppositio textuum,  
ubi inquit Moses, FECERIT UNUM EX OMNIBUS quæ non  
sunt facienda. Tale esse posset, 1. Si dives plus numerasset quàm  
DEUS cuperet, 2. Si pauper minus numerasset, Exempli gra-  
tia de siclo de quo extat lex, Exodi 30. 15. Dives non augebit,  
pauper non diminuet, item si in sacrificiis peregrinum & paupe-  
rem non vellent sacerdotes habere vel esse paris conditionis cum  
Israelita &c. Num. 15. 14. 15. 16. & qui possunt esse similes casus plu-  
rimi. De his agitur, Levit. 5. 17. 18. 19. ut patet ex oppositione præ-  
cedentis legis in versu 14. 15. 16.

LXXXVIII. Ergo recapitulando ea quæ hæcenus sunt dicta, capi-  
re 4. & 5. Levitici, agitur de peccatis talibus, quales species recen-  
sentur cap. 5. 1. 2. 3. 4. & cap. 5. 14. 15. 16. 17. 18. 19. illic variis, hic  
sanctificatis Domino. Et de sanctificatis cap. 5. à versu 14. ad fi-  
nem nihil libet repetere vel adjicere amplius.

LXXXIX. Exempla Levit. 4. 1. 2. 3. 4. qualium peccatorum casus  
complectantur, jam est expositum, nimirum non nuda inscitia,  
nuda que ignorantia, quanquam hos inscitia & ignorantia casus  
non excludamus, sed etiam negligentia, incuria, præcipitis affe-  
ctus & culpæ sæpè satis lata, errorisq; supini, qui ignorantia pro-  
prie sic dictæ nomine venire nullo modo possunt, si ut diximus spe-  
cialismè & propriissimè usurpaveris nomen ignorantia.

LXXX. Talia igitur peccata quando committuntur, à sa-  
cerdote, à communitate, atque à principe, singulis his tribus non  
nisi unum sacrificii genus præscribitur: quando verò à privato  
committuntur, eoque vel satis aucto, vel mediocri, vel pauperri-  
mo, juxta triplicem huius conditionis statum triplicia sacrifi-  
cia fuere mandata. Id quod à nobis fuit scrupulose & diligen-  
tissimè expendendum in eum usum, quem mox videbimus.

LXXXI. Postquam igitur hoc genus peccati ex inscitia su-  
pina quandoque & ex affectata ignorantia, quandoque ex præci-  
piti & pessimo affectu, ex lata culpa, ex supina negligentia, ex  
gravi



gravi incuria commissum per certa sacrificia expiare docuit Mo-  
ses, tandem capite sexto versu 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. juxta versionem & distin-  
ctionem Pagnini accedit ad peccata his hucusq; expositis plus oppo-  
sita, quæ sunt ex proæresi dolosa & malitia petulanre, quæ sunt  
perfidiosum mendacium, fraus ex deposito, raptum, inventi de-  
tentio, & his accedens perjurium. Hæc perfidiosa deceptio in  
commerciis & contractibus, hæc maleficia prorsus sunt gravissi-  
ma respectu minus malitiosorum nec tamen levium eorum, de  
quibus capite 4. & 5. fuit actum.

LXXXII. In his maximè dolosis requirit DEUS 1. restitu-  
tionem, quia peccatum tale malitiosum pronunciarı vult manere  
tamdiu indimissum, donec ablatum restituatur. 2. Supernume-  
rationem quintupli. 3. Pro sacrificio arietem juxta æstimatio-  
nem sacerdotis pro qualitate delicti commissi.

LXXXIII. Unicè autem iterum venit expendenda popula-  
ris illa legum divinarum consuetudo qua sub propositis paucis ca-  
sibus similes infinitos cupiunt expediri, Sicut enim quintum sex-  
tumque præceptum per plures casus CHRISTUS, Math. 5. latius  
intelligere & plura complere docet: ita idem certò statuere debe-  
bimus de his sacrificiorum (immò & de reliquis omnibus in Mose  
forensibus & moralibus legibus) regulis.

LXXXIV. Hanc prolixitatem forsan ingrata, lector benevo-  
le, rogamus, ne interpreteris in partem aliam. Agitur in hoc ne-  
gotio de articulo ad salutem animarum cum primis pertinente.  
Hanc adversarius miris subtilibus argumentationibus evertere  
voluisse visus fuit. Ergo propter gloriam CHRISTI, & verita-  
tem divinam vindicandam opus fuit forsan ingrata illa contextu-  
um resolutione, quam ut ne ægrè feras, perrogamus.

LXXXV. Ex his enim paulò luculentioribus declarationibus  
ad omnia & in hoc negotio subtilissima & gravissima visa argu-  
menta Socini solidissimæ resultabunt responsiones.

LXXXVI. Urget vocabulum Scegagah quod dicit significare u-  
bique errorem & ignorantiam sive peccatum quod non à cordis  
malitia, sed ab incogitantia & imprudentia proficiscitur. Respon-  
demus non satis hoc dici esseque, sed multa peccata talia à culpa &



supina incuria (quæ fermè dolo quandoque apud ICros & Politi-  
 cos æquiparatur) proficiscencia hoc eodem nomine venire, ut in-  
 nimis proluxa forsã deductione fuit monstratum.

LXXXVII. Quemadmodum vero non rem Scægagah tanquam  
 fortissimum suum armamentarium nobis opposuit Socinus ad ne-  
 gandam satisfactionē Christi pro peccatis totius generis humani,  
 ita quoque adversus eandem sibi quærit subsidium ex vocabulo  
 Græco ἀγνοῦντων, quod putat habere nudam nomenclationem  
 merarū & simplicium ignorantiarum: ad quam objectionem pro-  
 pter epistolam ad Hebræos, ubi in Græco hoc nomē habetur, pro-  
 lixius & solidius est respondendum, & quidem ita ut sequitur.

LXXXVIII. Similem enim significationem cum Scægagah ha-  
 bet vocabulum ἀγνοῦντα sine dubio, quia similis significatio  
 est in voce ἀγνοία, Act. 3. 17. & 13. 27. 1. Tim. 1. 13. 2. Pet. 2. 12. 1.  
 Scio quod per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri (cruci-  
 dando tamen Christum.) 2. Qui habitant in Jerusalem & Prin-  
 cipes eorum quum ignorarent illum, eo damnato, &c. 3. Item  
 nulla mortis causa inventa petierunt à Pilato ut interficeretur. 4.  
 Ignorans faciebam & per incredulitatem, sed paulò ante præcedit,  
 qui prius eram blasphemus & persecutor & injuriosus. 5. Isti quæ igno-  
 rant ea vituperant, (sed præcedit.) Qui carnem sequentes ita im-  
 pura cupiditate incedunt, non horrent dignitates convitiis inces-  
 sere. Hæc si quis diligenter examinaverit & contulerit, secun-  
 dum magis & minus differre videbit, attamen tam levia priora  
 peccata non deprehendet sicuti extenuantur à Socino, etsi pro se  
 habet externum sonum vocabuli ἀγνοῦντων siquidem exempla  
 evincunt, ἀγνοῦντα dici, quæ sunt malitiosa prodiciones, ab-  
 negationes, diffamationes, cædes, &c.

LXXXIX. Victoriã reportaturus adhuc urget & hanc regulam  
 constituit Socinus: Eorum peccatorum quæ sacrificiis per totum  
 annum oblatis expiari poterant, universalis à sacerdote semel  
 quotannis expiatio fiebat, Hæc ille. Sed sit hæc regula & pla-  
 ceat illa utriq; parti. Minorem jam subsumit hanc Socinus, At  
 DEUS tantum instituit sacrificia pro levibus peccatis quotidie  
 per totum annum expiandis. Hanc nos negamus, i. quia Le-  
 vit. 4. & 5. non sunt tam levia quàm levia facit Socinus, sicut ha-  
 stenus.



atenus vidimus. 2. quia Levit. 6. pro malitiosis & maximis DEUS similiter instituit sacrificia.

XC. Ad locum Hebr. 9, 6. quem iterum urget jam modò est responsum, neq; continetur *ἀγνοήματα* & vocabulū in toto 16. cap. Levitici, sed pro eo extant, hæc *ἀδίκημα, ἀμαρτία, ἀνομία, ἀδικία & ἀναστροφή*. Quid quod Hebr. 5, 2. 3. ostendit idē auctor in eadem lingua Græca, sacerdotem Leviticū talem fuisse, qui posset misereri *ἀγνοώντων & πλανομένων*, quorum ultimi *πλανήτες* non sunt alij nisi deceptores, & pertinaces, ut Hebr. 3, 10. semper errant corde & non cognoverunt vias meas. Itaque juravi in ira mea. Si introibunt in requiem meam. Usurpatur idem vocabulum de Antichristo 2. Joh. vers. 7. de que Satana Apocalip. 20, 10. Vide & expende loca in Concordantijs Græcis vel Betuleij vel Henrici Stephani plurima & res tibi, lector, fiet planissima & certissima.

XC I. Quapropter manet conclusio, quod Levit. 16. fuerit expiatio pro levibus, mediocribus & gravibus omnibus omnium hominum peccatis. Item vice versa manet hîc syllogismus, pro quorum peccatis quotannis semel expiatio fiebat, pro illis quotidie per totum annum expiatio fieri poterat, Sed quotannis fiebat juxta claram etiam literam Levit. 16. expiatio pro levibus, mediocribus & gravibus peccatis omnibus omnium hominum. E. & pro iisdem quotidie erat parata expiatio.

XCII. Opponit etiam Socinus, licet pro gravibus peccatis etiam sacrificia concefferit Deus Levit. 8. quod tamen à majore parte fiat denominatio ab auctore ad Hæbræos qui dicit, *pro ignorantibus* fuisse sacrificatū; præterea quod præter sacrificia in majoribus requirebatur satisfactio proximo præstanda & quinta pars supernumeranda. Respondemus & obsecramus lectorem, ut succumbentis & devicti Socini & in conscientia sauciati adversarij verba expendat, & hîc pedem figat.

XCIII. Verba Socini parte 2. cap. 11. sunt hæc: Elegantissimè veteris Scripturæ sensum & loquendi morem conservans auctor ad Hebr. dixit, sacrificium anniversarium illud pro ignorantibus oblatum fuisse, id est, pro peccatis per imprudentiam commissis. Nam quamvis quibusdam etiam ultroneis delictis ex-



piatio per sacrificia concederetur, à majore tamen parte denominatio fit. Adde quod ut supra ostensum fuit, aliud præter sacrificia ad ea expianda requirebatur. Ejusmodi a. ultronea delicta ideò expiari poterant, quia proximè accedebant ad ea, quæ per imprudentiã admittebãtur. Neq; n. contumaciter adversus Deum in eis peccabatur, sed fragilitate humana & perverso atq; inveterato quodã usu, quo unusquisq; bona alterius ad se si potest sub aliquo prætextu vel ignorantia vel injustitiã trahit & rapit. Et iccirco in lege expiationis Levitic. 6, 3. 7. adduntur ea verba QUÆ FACERE SOLET Homo, & Num. 5, 6. ejusmodi delicta appellantur peccata hominum. Ex quibus apparet Deum in expiatione illa concedenda inveterati cujuscumque usus & humanæ fragilitatis rationem habuisse. Quæ causa etiam sunt, ut inter ignorantias ejusmodi errata censerentur, per comparationem scilicet cæterorum gravium scelerum. Alioquin si cum ipsis ignorantibus conferantur, iniquitates appellari debent. *Hactenus verba Fausti Socini.*

X C I V. Ut reliqua intacta relinquamus, quod nimirum ultronea ignorantibus quàm cognatissima statuit, quo ipso non nihil destruit, quæ de significatione vocabuli Seegagah dixit, illud vehementer miramur, quod sequitur. Concedit pro ultroneis etiam esse divinitus ordinata sacrificia: sed dicit, cum limitatione, ut restitutio fiat proximo, & supernumeretur quinta pars.

X C V. Respondemus, eandem limitationem fuisse quoque in Szegaga seu in imminutis primitiis & alijs sanctificationibus fraudulenter quasi contributis Levit. 5, 16. Reddet quod peccavit in sanctificatione & quintam partem ejus addet ei. Pertinere eundem casum ad ignorantias patet ex versu 15. ubi appellatur Error seu peccatum per errorem, & in Hebræo est idem vocabulum, quod extat Levit. 4. à themate פֶּשַׁע.

X C V I. Illud verò an tolerabile sit, cuiuslibet dijudicandum relinquitur, *Et si ultronea peccata, etiam habent expiationem tamen* (apud auctorem ad Hebræos) *à majore parte* (peccatorum ignorantia vult dicere Socinus) *denominatio fit.* Immò respondemus, auctor ad Hebræos sub nomine ἀγνομάτιον nequam



quam solas ignorantias sed sicut antea locutus fuit & ἀγνοή-  
τας & πλάνης intellexit. Hunc auctorem & hanc mentem  
auctoris retinere & æmulari decuisset Socinum & ita res ex ut-  
traque parte fuisset in vado, desissetq; Socinus meritum Chri-  
sti impugnare.

XCVII. Jam verò quia dicit, Utraq; peccata habuisse expiatio-  
nem per totum annum, sed tamen in anniversario sacrificio si-  
bi videri fieri denominationem à majori & ibi tantum fuisse  
expiatas ignorantias, nihil aliud facit quàm quod contra pro-  
priam Conscientiam veritati agnitæ assentiri noluit nec argu-  
mentum hoc nostrum dissolvere potuit, sicut nec illud in æter-  
num ullus adversarius dissolvat. Vicimus ergo adversarij ver-

bis ipsius testantibus & destruximus alterum clypeum ad-

versariorum nostrorum, in quo omnem victorię

sux sibi repositam habebant spem

& fiduciam.

F I N I S.









94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692




Sb.

VD 17


21,7.99 Bd.











DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM  
DE  
**SACRIFICIIS**  
**SATISFACTIONIS CHRIS-**  
**TI PRO PECCATIS TOTIUS MUN-**  
**DI PRÆSTITÆ, TYPIS CERTISSIMIS,**  
**ET FIRMISSIMIS,**

*Adversus recentiores Arianos seu Photinianos, Satisfactionem CHRISTI omnem pernegantes*

**S E X T A,**  
Quod sacrificia suo modo expiarint peccata.

**Q U Æ**  
In Collegio Disputationum Theologicarum privato in Templo Arcis  
d. 12. Apr. Anno d. 1710. c. xv. in incluta VVitteber-  
gensium Academia habebitur.

**P R Æ S I D E**  
**VVOLFGANGO FRANZIO, S. S.**  
Theologiæ Doctore & Profess. Publico;

**R E S P O N D E N T E**  
**M. AGGÆO FRIDERICI FRISIO ORIEN-**  
**TALI S. S. Th. Sc. ET RECTORE SCHOLÆ RIGEN-**  
**SIS DESIGNATO.**

*VVitteberge, Typis Johannis Gormanni.*

